



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1657

§. 243. Qui in eadem damnatione es? v. 40.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45549

taliam facere non est ferendum. Pudeat te, vel nunc non timere Deum, datus sentis eius manum,

EN vera fraternitas, vera caritas & zelus animarum, quo, quis quaerit salutem alterius; fratres erant ambo, saltem latrocinio, & in malis, desinit hic esse socius in malo, & alterum allicit, ut ambo sint socij in bono, ambo sancti, ambo fratres in timore Domini, ut sint pietatis cultores ambo, qui socij malitiae fuerunt. Querit hic ut sint iustitiae filij, qui erant antea diaboli. Operam dat, ut sint filij Dei, qui erant ambo socij damnationis, studet hic ut fiant ambo salutis aeternae participes, & ideo hortatur alterum, ut agnoscat Deum & reuereatur per verba. *Neque tu times Deum?* Considera Christiane miles, quomodo hic fidem astruat ex initio sapientiae, timore Domini.

§. 243. *Qui in eadem damnatione es? v. 40.*

Scilicet mortis per sententiam Pontij Pilati Praesidis irrevocabilem & quidem morti iam proximus, qui iam Dei digitum sentis, & alijs liceat, malitia & corde perverso esse quando valent, & in delictis sunt, in cruce impium esse, excedit omnem modum humanum. Cum potestatem ille habeat & corpus & animam tuam perdendi in gehennam ignis. Itaque rogo te, si frater esse porro vis, respice; agnosce Deum tuum tibi praesentem, iam pro te patientem & moriturum, pete gratiam eius, pete veniam mecum peccatorum tuorum, dum vivit ille adhuc in tormentis, dum operatur sanguis eius & tu vivis ne facti poeniteat. Dum mortuus fueris, inter tempus nascendi & tempus moriendi medium est tempus acquiriti gratiam Dei, & tempus perdendi. Istum terminum si transferis, praecipuus morte spatium poenitentiae invenire non poteris. His & similibus pijs admonitionibus & argumentis conabatur latro bonus fratris animam lucrari, nobis in exemplum illustre, ut quando rationabiliter possumus, nullum non lapidem moneamus ad vnam saltem Christo animam lucrandam.

O Deus qui & mihi representas in mente terribilia illa hominis extrema, & felicitatem aeternam sanctorum. An moueor? induratum saepe est cor meum, plus quam Pharaonis, non volo dimittere delectationes meas illicitas, non volo relinquere affectus carnis, vere cum sic constitutus sum: tunc ego sum sicuti iste impoenitens latro. Sed o Deus conuertere me obsecro tunc, & fac ut sim sicuti latro alter, increpam me, & vindictam sumam de me, infligendo ieiunia mihi, disciplinas, ciliciorum asperitates, & similia.